CAROLI BEIERI

INDICES

[illegible]

SCRIPTORUM CICERONIANORUM

EDITIONES

EX AUCTORIS SCHEDIS EDITI

A

M. GODOFREDO HERTELIO,

[illegible]

CAROLI BEIERI

INDICES

AD

CICERONIS DE OFFICIIS LIBROS

EIUSDEMQUE

ORATIONUM FRAGMENTA.

DIGESSIT ET EDIDIT


GODOFREDUS HERTEL,

PHIL. DOCTOR AA. LL. MAGISTER GYMNASII ZUICCAVIENSIS RECTOR.

LIPSIAE,

SUMPTIBUS GUIL. NAUCKII.

MDCCCXXXI.


MAY 18 1898
LIBRARY.

EPISTOLA EDITORIS

AD

AUGUSTUM GOTTHILF GERNHARD,

PHILOS. D. AA. LL. MAG. MAGNIDUC. SAX. CONSISTORII CONSILIARIUM GYMNASII VIMARIENSIS DIRECTOREM SOCIETATIS LATINAE IENENSIS SODALEM.

VIRO CLARISSIMO

AUGUSTO GOTTHILF GERNHARD

S. P. D.

GODOFREDUS HERTEL.

Tibi maxime, Vir amicissime! hunc libellum trado, doctissimo, atque, ut Beieri verbo utar, *laudatissimo* librorum Ciceronis de Officiis editori, idque duabus imprimis de causis. Primum enim a Tuo nomine non parum mihi videtur commendationis accedere his indicibus, a Beiero incredibili diligentia et labore confectis; Tu enim, qui in his Ciceronis libris habitas adeoque regnas, huic quoque operae longe aerumnosissimae iustum prae multis aliis statuere poteris pretium. Deinde vero volui Tibi hoc munusculo, in quo meae partes etsi non primae, at secundae tamen tertiaeve fuerunt, gratum, quem Tibi habeo animum, testari, eoque oblato recolere praeteriti temporis memoriam. Quotiescunque enim reminiscor illorum dierum, quibus mihi Vimariae degenti iucundissima Tua consuetudine uti licuit: laetissima ista recordatio animum purissimo complet gaudio, eumque, quantis Tibi obstrictus sit officiis, commonefacit. Patere igitur, Vir amplissime, ut haec qualiscunque opella temporis illius, mihi et iucundissimi et utilissimi, sit monumentum, illis diebus cito praeterlapsis superstes.

Quodsi quaeris, quo modo ad me potissimum edendorum horum indicum negotium devenerit: ita factum est. Etenim quum in Forcellini lexico auctius edendo elaborarem, et a Beiero, quae erat eius et doctrina et humanitas, multis iisque egregiis additamentis adiutus essem: post mortem viri amicissimi primum Jahnium, deinde eius suasu Beieram, sororem fratris doctissimi, litteris adii, ut si forte in schedis a fratre relictis reperirentur, quae mihi usui essent, ea benigne mecum communicarent. Beiera igitur, ut desiderio meo responderet, misit mihi fasciculum schedularum, in quibus omnibus vocabula a littera *A* incipientia scripta erant, quae excuterem, an, quae in usum converterem, inessent. Ac primum quidem vix, quid his schedulis facerem, assequebar; mox autem, quum plura contulissem et inter se comparassem scribendique compendia enucleassem: initium indicis locupletissimi esse intellexi mireque detecta hac re gavisus sum. Itaque confestim interrogavi Beieram, an omnium litterarum schedulae eodem modo a fratre relictae exstarent; esse indices ad fratris editiones Ciceronianorum scriptorum; velle me eos, si ipsi placuisset, in ordinem redigere et publici iuris facere; pium hoc officium esse, a me fratri dilectissimo debitum. Misit autem reliquos fasciculos, qui singuli singulas continebant litteras et indicem scriptorum, in commentariis laudatorum, a Beiero ipso digeri coeptum et usque ad Ciceronis epistolas (*p.* 3. *col. I. sub fin.*) perductum.

Opus igitur aggressus sum; dispersis in ordinem redactis, longioribus in brevius contractis, impeditioribus digestis et rescriptis, totum ita concinnavi, ut prelo tradi posset; concinnatum tradidi Guil. Nauckio, bibliopolae honestissimo, qui se lubenter sumptus libelli edendi facturum esse promisit. Et sic Beierus nimis, proh dolor! matura

morte litteris et amicis ereptus, iusta laude non fraudatur; consulitur vero etiam egregie virorum doctorum, qui hodie vivunt, usibus. Quantopere enim dolendum fuisset, si intercidisset opus, tam ingenti labore a Beiero sub ipsum vitae finem confectum; in quo quantum taedii fuerit devorandum, ii tantum sciunt, qui ipsi in eiusmodi rebus operam collocarunt. Ac sic non minus iis, quibus non vacat tria volumina satis spissa perlegere, reclusa est Beieri multifaria admodum et haud vulgaris doctrina; quam iis, quibus ea perlegentibus tempus non sufficit ad singula quaeque in adversaria referenda. Fortasse igitur non fallor, si me editis his indicibus haud paucorum gratiam initurum esse spero; fuerunt enim, qui, quum ipse Beierus adhuc in vivis esset, hos indices flagitarent, eosque ab aliis, ut ab ipso non iam exspectandos, confici vellent. Hi laboriosissimum hominem egregie promissis stetisse intelligent, ac vera facta esse, quae dixit in praefatione alterius tomi librorum de officiis p. VI: „*Illud minoris, quod aliis negotiis impeditus sum, quo minus librum, Lectores satutandi moras impatienter ferentem, nunc statim instruerem, ut volueram, indicibus: qui quidem reservantur alii cuidam Ciceronis libro philosophico, proxime edendo.*" At fata eum alio tulerunt. Post plures enim annos delatus est ad fragmenta orationum Ciceronianarum, et ea quoque, cum tempore tum librario urgente, sine indicibus in lucem emisit, ut ipse narrat in praefatione, fragmentis illis praefixa, p. XV: „*Iam vero empturientium desiderium et studium novi lepidi libelli lectitandi facit, ut non dum instructus indicibus doctis eorum manibus tradatur. Sed post paucos menses habebunt indices copiosissumos etiam ad librorum de officiis editionem pertinentes. Materiae quidem collectae iam sunt omnes, sed non dum digestae. An verendum erat, ne ego, qui multos mul-*

torum libros indicibus instruxerim, meos mancos extruderem? Iniqui igitur fuerunt isti, qui indicum absentiam mihi imputarunt. Quasi vero scriptor librarios exorare debeat, ut faciunt promissum ipsorum nomine datum, non exorandus ipse ab illis sit, quorum lucro cum suo damno inserviat!"

Habes iam, Vir Clarissime! quae ad historiam huius libelli facere videbantur, neque quidquam superest, nisi ut gratias agam Viro ornatissimo, qui primas correctoris vices sustinuit, *Car. Guil. Dietrichio,* a quo praeclara prorsus huic negotio navata est opera. Verum etsi ille tam industrie versatus sit, ipse quoque non minorem in relegendis plagulis typographicis posui operam, ut vix unum aut alterum errorem repertum iri existimem.

Itaque tene Tibi hoc munusculum et tanquam ab homine amico profectum boni consule. Vale, mihique, ut facis, favere perge.

Scribebam Zuiccaviae mense Iunio MDCCCXXXI.

INDEX I.

CONTINENS SCRIPTORES LIBROSQUE

quorum loci controversi sunt vel ad lectionem vel ad sententiam ideoque critice tractantur (*cr.*), emendantur (*em.*), refelluntur (*ref.*), taxantur (*tax.*), explicantur (*expl.*), comparantur (*comp.*), defenduntur (*def.*), notantur (*not.*), vindicantur (*vind.*), exprimuntur (*expr.*).

Numeri arabici paginas Tomi I. vel II. editionis librorum de *officiis* [I. vel II.], vel *Fragmentorum* [*F.*], Romani autem *praefationum* [*Praef.*], indicant.

Q.

S.

INDEX II.

RERUM ET VERBORUM, QUAE IN NOTIS EXPLICANTUR.

2

C.

E.

F.

G.

H.

I. et J.

M.

O.

Q.

T.

U. et V.

X.

Z.

INDEX III.

VOCABULORUM GRAECORUM.

A.

INDEX IV.

VOCABULORUM GERMANICORUM etc.

LIPSIAE,
SUMTIBUS GUIL. NAUCKII.
MDCCCXXI.

